

celebrandum, vel ad divinis assistendum, vel ad ordines conferendos aliasve functiones episcopales exercendas ad easdem accesserit (1). Extra cathedralem tamen omnes canonici in corpore assistere non debent, sed illi soli, qui Episcopi ministerio necessarii sunt, scilicet tres ad assistendum, et alii duo in officio diaconi et subdiaconi (2); et curandum semper est, ne ecclesia cathedralis debito cultu et officio defraudetur, neve chori servitium deseratur: ita ut in cathedrali tot canonici et ministri semper remaneant, quot satis sunt ad divina celebranda officia (3); et si numerus canonicorum parvus sit, ipsi ad hanc assistentiam cogendi non sint: in quo casu si aliqui tantum canonici Episcopum comitentur, hi cum aliis sacerdotibus non canonicis Episcopo ministrare tenentur (4).

In aliis ecclesiis dignitates et canonici ecclesiae cathedralis assistentes, praecedunt dignitates et canonicos collegiatæ, matricis alteriusve ecclesiae (5); et assistentia in omnibus diocesis ecclesiis parochialibus, collegiatis et regularibus quantumvis exemptis pertinet ad dignitates et canonicos ecclesiae cathedralis, si cum Episcopo fuerint (6), non uti singuli seu singulariter, et modo ab Episcopo invitati fuerint (7). Licet enim canonicorum sit, Episcopo etiam extra cathedralem inservire; Episcopus tamen illos ibidem omnino habere non debet, nec illi in alienis ecclesiis sponte sua se ingerere tenentur, sed ab Episcopo invitandi sunt (8).

VI. Episcopo suffraganeo, vel alii ab ordinario delegato, cele-

(1) S. R. C. 5 Jul. 1603, *Tifernaten*; 10 Jan. 1604, *Salamantina*; 7 Jul. 1612, *Elboren*; 11 Aug. 1646, *Perusina*; 18 Dec. 1660, *Sulmonen*; 22 Jan. 1664, *Surrentina*.

(2) S. R. C. 17 Mart. 1607, *Lamacen*, 3; 20 Jun. et 14 Nov. 1654, *Perusina*; 13 Jul. 1658, *Ragustina*, 2; 23 Mart. 1686, *Nolana*, 2; 10 Dec. 1740, *Melphiten*, 5.

(3) S. R. C. 23 Mart. 1592, *Hispaten*, 2; 5 Jul. 1603, *Tifernaten*; 17 Mart. 1607, *Lamacen*, 3; 16 Sept. 1645, *Grossetana*, 3; 24 Nov. 1663, *Surrentina*; 19 Dec. 1665, *Aquilana*; 6 Aug. 1763, *Dertusen*, 10; 7 Dec. 1844, *Sancti Severi* 1.

(4) S. R. C. 21 Mart. et 31 Jul. 1665, *Labacen*.

(5) S. R. C. 23 Mart. 1592, *Hispaten*, 2; 7 Maji 1639, *Justinopolitana*; 20 Ap. 1641, *Algaren*; 24 Jul. 1660, *Camplensis*; 19 Jan. 1743, *Atiphana*.

(6) S. R. C. 10 Maji 1608, *Bononien*; 15 Jul. 1617, *Brundustina*; 20 Nov. 1628, *Fesulana*; 20 Jul. 1630, *Thelesina*; 17 Sept. 1639, *Urbevetana*; 19 Jan. 1743, *Atiphana*; 16 Sept. 1747, *Avenionen*, 1; 15 Jul. 1752, *Casaten*, 10; 19 Maji 1786, *Melevitana*, 22.

(7) S. R. C. 12 Mart. 1735, *Surrectina*, 4; 19 Jan. 1743, *Atiphana*, 2 et 3; 15 Jun. 1789, *Melevitana*, 22.

(8) Carli, biblioth. liturg. *Assistentia*, decr. 1.

branti aut functiones Episcopales nomine proprii Episcopi exercenti, dignitates et canonici ecclesiae cathedralis assistere, debitaque obsequia praestare tenentur (1). Non assistunt autem duo diaconi, sed dignitas vel canonicus cum pluviali pro sacerdote assistente et duo alii canonici pro diacono et subdiacono (2).

## CAPUT XIV.

## DE CANONICIS DEPUTATIS IN SPECIALIBUS CASIBUS.

## § 1. De duobus canonicis in servitio Episcopi.

I. Decretales Gregorii IX, lib. III de clericis non residentibus tit. IV, can. VII *De cetero* praescribunt: *Statuimus ne canonicis donec in servitio tuo fuerint, quicquam subtrahi debeat vel auferri, quod de communitatis sibi beneficio debetur. Nisi forte sint victualia, quae non consueverunt absentibus exhiberi.* Et can. XV: *Ad audientiam nostram pervenit, quod cum in Meldens, ecclesia quaedam sit constitutio vallata juramento et auctoritate Sed. Apost. confirmata, ut canonici, qui non resident in eadem, suarum priventur fructibus praebendarum, illis exceptis, quos infirmitas excusaret, sive in Apostolicae Sedis servitio contingeret deteneri. (Et infra). Decernimus, ut duo ex Canonicis Ecclesiae memoratae, in tuo servitio existentes, suarum fructus integre percipiant praebendarum; cum absentes dici non debeant, sed praesentes, qui tecum pro tuo et ipsius Ecclesiae servitio commorantur.*

II. Vi horum Decretalium duo canonici, in servitio Episcopi existentes, integros fructus praebendarum seu canonicatus percipiunt, etsi non resideant, nec chorum frequentent, non autem victualia seu distributiones quotidianas (3): hoc tamen privilegium ad plures, si in servitio Episcopi fuerint, non extenditur, ut liquet ex praefato canone XV, quo numerus ad duos restrictus est (4).

(1) S. R. C. 21 Feb. et 20 Mart. 1604, *Bracharen*.

(2) Caerem. Ep lib. 1, cap. 8, n. 4; S. R. C. 9 Maji 1606, *Cesaraugustana*; 1 Sept. 1607, *Bacharen*; 7 Aug. 1627, *Aquilejae*, 2.

(3) Pallottini, *Canonici*, § III, n. 28 et seqq.

(4) S. R. C. 7 Jan. 1640, *Avenionen* apud Zamboni tom. 1, *beneficiatus*, § IV.



III. Episcopo licet pro suo servitio adhibere duos canonicos vel beneficiatos sive ecclesie cathedralis, sive ecclesie collegiatae suae dioecesis (1), non tamen plures quam duos, ita ut, si praeter cathedralem una vel plures collegiatae in dioecesi sua existant, nequaquam duos ex unaquaque ecclesia, sed solos duos ex omnibus assumere valeat (2).

Ei capere non licet curam animarum habentes (3), neque canonicos coadjutores (4), neque poenitentiarium (5), neque primam dignitatem ecclesie collegiatae (6), quia ejus in choro magis necessaria est praesentia; neque clericum alterius dioecesis, ita ut Archiepiscopus clericum aut clericum alicujus dioecesis suorum suffraganeorum assumere non valeat (7); neque clericum theologum (8), licet plures censeant, theologum assumi posse (9).

Ex reliquis autem duos quos voluerit, assumere potest, etiam sine capituli consensu, et absque probatione utilitatis ecclesie (10); qui duo canonici vel beneficiati non solum ultro Episcopo suo inservire debent, verum etiam ad id inviti ab eo cogi possunt (11).

IV. Episcopus non semper eosdem, sed varios canonicos, nunc hunc, nunc alterum adhibere potest, cum hoc prohibitum non reperitur. Simul tamen plures quam duos adhibere nequit, v. g. uno mense quatuor, et altero mense nullum, cum clara juris dispositio duos tantum permittat: quia ab una parte duo Episcopi servitio sufficere censentur, et ab altera parte per plures duobus cultus ecclesie et chori servitium detrimentum paterentur. Nihil autem obstat, si Episcopus uno anno hos canonicos, et anno

n. 6, et apud Lucium Ferr. *Episcopus* art. VI, n. 153; Fagnanus in 1 part. III. Decretal. *de clericis non resident*, cap. *de caetero*, n. 5 et 8; Giraldis *expositio juris Pont.* p. 1, sect. 350; Devoti *Instit. Canonic.* lib. 1, tit. III, § 59, not. 3; contra Zypaeum jur. Pont. lib. III, de clericis non residentibus n. 44.

(1) S. C. C. loco cit. Fagnanus loco cit. n. 14; Giraldis loco cit. Scarfantonus lib. 2, tit. XI, animadv. 19.

(2) Louvrex Dissertat. canonic. 23, n. 43; Lucius Ferraris *absens*, art. 2, n. 23.

(3) S. C. C. 26 Ap. 1659 in una *Montisflascotis* apud Lucium Ferr. *Episcopus* art. VI, n. 154.

(4) S. C. C. 15 Jan. 1648, apud Luc. Ferr. loco cit. n. 155.

(5) Craisson *Manuale jur. can.* n. 2289.

(6) Scarfantonus lib. 2, tit. 13, n. 1-6.

(7) Moneta, p. 2, q. VIII, n. 11.

(8) S. C. C. 16 Dec. 1634, *Pacen* apud Zamboni, *Canonicus*, § IX, n. 11.

(9) Andreucci de tuenda pace n. 44.

(10) Fagnanus loco cit. n. 5 et Scarfantonus lib. 2, tit. XI, animadv. 12.

(11) Fagnanus ibidem n. 15.

sequente unum vel duos alios adhibeat; et si hoc liceat in variis annis, etiam licebit hoc mense istos, et altero mense aut tempore alios assumere, modo numquam plures quam duos adhibeat, qui chororum non frequentant.

V. Duo illi canonici vel beneficiati in servitio Episcopi existere debent, sicut in decretalibus expresse dicitur: *In tuo servitio existentes. Tecum pro tuo et ipsius ecclesie servitio commorantur.* Inter illos alii continuum et quotidianum exercent servitium, alii autem discontinuum, uti visitator, qui saepius solo tempore aetivo suas instituit visitationes. Quamdiu autem in Episcopi servitio occupati fuerint, eodem fruuntur privilegio.

Cum in servitio Episcopi et ecclesie existere et commorari debeant, inde auctores (1) deducunt, eorum servitium tendere debere in necessitatem vel utilitatem ecclesie, non autem in proprium et particulare commodum; ita ut eidem inserviant, uti Episcopo, non autem uti personae particulari. At, ut notat Lucius Ferraris (2) res eo processit, ut qualecumque officium, quod praestatur Episcopo, idem operetur. Episcopus eorum opera uti potest pro exercendo munere secretarii (3), vicarii, visitatoris (4). Si velit, ei assistere et inservire possunt et debent in omnibus, quae respiciunt ipsius et ecclesie utilitatem. Possunt ab Episcopo secum duci, et apud se deteneri, sive ad functiones celebrandas, sive ad negotia tractanda, sive ad dioecesim lustrandam, quando et quomodo ipse expedire judicaverit (5).

VI. Illi duo canonici vel beneficiati omnes et integros fructus suae praebendae vel canonicatus percipiunt, ut liquet ex allatis Decretalibus, etiam stante praescriptione vel consuetudine in ecclesia cathedrali, quod absentes fructus praebendae non percipiant (6). Quod si fructus omnes canonicatus in distributionibus consistant, eo casu hujusmodi canonici, in servitio Episcopi occupati, lucrantur duas ex tribus ipsarum partibus, dimissa tertia, quae residentibus accessit (7).

(1) Fagnanus loco cit. n. 12; Scarfantonus loco cit. n. 21.

(2) *Absens*, art. 2, n. 17.

(3) S. C. C. 17 Ap. 1706, *Anagnina*, apud Scarfantonus loco cit. n. 17.

(4) Giraldis loco cit.

(5) Andreucci, De tuenda pace n. 39.

(6) Lucius Ferraris *Episcopus*, art. VI, n. 21.

(7) S. C. C. 10 Maji 1698, *Tranen* apud Scarfantonus loco cit. n. 15; 28 Sept. 1858, apud Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 2, fol. 532; Fagnanus loco cit. n. 27 et seqq. Giraldis loco cit.



VII. Non lucrantur nec assequuntur distributiones quotidianas pro horis, quibus non interfuerint (1) uti Sacra Congregatio Concilii declaravit quoad vicarium generalem, examinatores synodales et alios (2), etiam non obstante consuetudine contraria (3). Excipiuntur tamen canonici, missi a suis Episcopis ad visitanda limina Apostolorum eorum nomine, vel comitantes ipsos Episcopos ad eadem limina juxta Constitutionem Sixti V *Romanus Pontifex*, qui donec hujus rei gratia abfuerint, non tantum fructus præbendæ vel canonicatus, sed etiam distributiones lucrantur, perinde ac si officio divino et choro interessent (4).

§ 2. De canonicis deputatis pro administratione seminarii.

I. Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. XVIII, de reform. statuit et præscribit : « Quum adolescentium ætas, nisi recte  
 » instituat, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et nisi a  
 » teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam  
 » vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte ac  
 » sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio,  
 » in disciplina ecclesiastica perseveret; sancta synodus statuit,  
 » ut singulæ cathedrales, metropolitanæ atque his majores eccle-  
 » siæ, pro modo facultatum et diœcesis amplitudine. certum  
 » puerorum ipsius civitatis et diœcesis, vel ejus provinciæ, si ibi  
 » non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas eccle-  
 » sias, vel alio in loco convenienti, ab episcopo eligendo, alere  
 » ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere te-  
 » neantur. In hoc vero collegio recipiantur... Quæ omnia atque  
 » alia ad hanc rem opportuna et necessaria episcopi singuli, cum  
 » consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi  
 » elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent, eaque  
 » ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt... Et  
 » quia ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem præ-  
 » ceptoribus et ministris solvendam, et ad alendam juventutem,  
 » et ad alios sumptus certi redditus erunt necessarii... iidem epis-

(1) Moneta p. 2, q. VIII, n. 12 et seqq.

(2) 17 Dec. 1627; 19 Junii 1638, 20 Sept. 1642; 9 Maji 1671, apud Bened. XIV, Instit. 107, § X; 28 Sept. 1858, apud Lucidi loco cit.

(3) S. C. C. 20 Jun. 1591, apud Garciam de beneficiis p. 3, cap. 2, n. 348.

(4) Bened. XIV de Syn. lib. XIII, c. VI, n. 2; Garcias loco cit. n. 349.

» copi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo,  
 » alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis,  
 » quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius  
 » vero ad clerum pertineat; ex fructibus integris mensæ episco-  
 » palis et capituli... et beneficiorum quorumcumque... partem  
 » aliquam, vel portionem detrahent : et eam portionem sic detrac-  
 » tam, nec non beneficia aliquot simplicia... sine cultus divini et  
 » illa obtinentium præjudicio, huic collegio applicabunt et incor-  
 » porabunt... Rationes autem reddituum hujus seminarii episcopus  
 » annis singulis accipiat, præsentibus duobus a capitulo, et totidem  
 » a clero civitatis deputatis... In ecclesiis autem, amplas diœceses  
 » habentibus, possit episcopus unum, vel plura in diœcesi, prout  
 » sibi opportunum videbitur, habere seminaria; quæ tamen ab illo  
 » uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus  
 » dependeant. »

Hæc est lex, de qua, an desuetudine vel consuetudine contraria abrogari possit, eodem modo ratiocinandum est, sicut de reliquis ejusdem Concilii Tridentini legibus (1). Certum autem est, eam nec abrogari nec immutari posse per potestatem civilem, quæ si aliam administrationem proponat, huic tamen, ad ecclesiæ jugum excutiendum, sese accommodare omnino non licet; et si necessitas urgeat, ad cavenda cum gubernio jurgia, lex tamen Tridentina semper ita æstimanda et honoranda est, ut observetur, quantum fieri potest, et quam primum circumstantiæ permittunt, in viridi observantia restituatur. Præterea bonus alicujus seminarii status, mutatio circumstantiarum, quæ a tempore concilii diversæ esse dicuntur, aliæve rationes speciales per se non excusant ab observanda lege Tridentina, cujus regulæ, dirigente Spiritu Sancto, præscriptæ sunt; quibus ordinationes particulares cedere debent; hasque illis præferre, omnino temerarium dicendum foret (2).

II. Vi concilii Tridentini ex capitulo duo constituendi sunt canonici consilarii Episcopi pro spirituali seminarii administratione, atque duo pariter, sive iidem sive alii canonici, pro administratione temporali. Hos duos posteriores, diversos et non eosdem ac priores esse debere, nec textus concilii docet, nec ratio exigit (3).

Concilium pro duplici distincto officio duplicem deputatorum

(1) Vid. Acta S. Sedis, vol. XII, fol. 493.

(2) Vid. Bouix tract. de capit. p. 4, c. X, § 6.

(3) S. C. C. 21 Junii 1879 in Actis S. Sedis 1879, vol. XII, fol. 495.